



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCLXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

approbans quod dicta praebeunda à solo Episcopo primum, ac postea ab octo superstitibus conferantur, videatur renuntiasse suo juri, si quod habuit conferendi illas praebeundas? Postremo etiam quaeritur, an si Princeps conferat, vel ejus Conciliū, debeat cum affectatione praedicta conferre, hoc est viro Nobili & Licentiatō? An vero possit cuivis conferre, etiam taliter non qualificato, cum jus regale recipiat summā ampliacionē.

Ad propositas quaestiones brevibus respondendo, dicimus ex juris scripti ratione ac dispositione expediri esse resolutionem, * vacante hoc Episcopatu ad Capitulum non pertinere jus conferendi canonicatum & praebeundam interea vacantes. Rescripsit enim Honorius tertius Papa, *m. d. c. illa Ne sede vacante*, nusquam in iure caurum inveniri, quod Capitulum sede vacante fungatur vice Episcopi in collationibus praebeundarum, etiam si alijs vice Episcopi fungatur quoad administrationem & custodiam tam in spiritualibus quam in temporalibus, *penult. & ult. De suppl. negl. praelat. c. Is cui De elect. lib. 6.* Ita ut Capitulum interea non sit Praelatus, sed Praelati tantum vices sustineant, & sic non suum sed Praelaturae negotium gerere censentur; ideoque omnes occurrentes vacationes futuro Praelato conservari debeant, ut ceteri fructus, qui vacante Praelatura non cedunt Capitulo, sed successori conservandi sunt; inter quos fructus procul dubio sunt collationes beneficiorum interim vacantium, *Gloss. m. c. Cum olim De maior. & obedi. c. Quia saepe De elect. lib. 6. Clem. penult. De elect. Gl. & Dd. m. c. Sicut nostrum De iur. iur.* Nec quia haec praebeunda virtute Bullae erectionis Episcopatus Audomarenensis incidit in reservationem & affectationem primarum novem, quae post erectum Episcopatum vacare contigerit, & nunc ex prioribus completis pro nobili in Theologia vel iure Canonico graduato, maior erit dicti Capituli potestas; * ob id, quod vacante Praelatura Capitulum conferre possit vacantia beneficia, quae ex praeventiva gratia aut reservatione Pontificia omnino conferenda sunt, nec libertate dispositioni Praelati si adhuc viveret subijciuntur: quasi id sit ad commodum & pro exoneratione Episcopi, *c. Cum vos De off. ordin. panor. in d. c. Cum olim, c. Eam te De rescript. & alij in d. c. illa Rebusus in tract. nominat. q. 8. nu. 11 & latius in praxi benef. lib. 1. art. de devot. nu. 58. cum sequens que 86.* Nam id restringitur, cum certae personae seu certis personis in individuo beneficia affectata sunt, seu ijs per Papam provideri mandatum est, per praeventivam seu expectativam quamcumque gratiam; non etiam cum in genere qualificatis personis collatio facienda est, *Rebusus & alij locis supra citatis.* Et si enim hoc casu ad qualificatas personas restringatur conferendi potestas, non restringitur tamen in specie seu individuo ad hunc aut illum, sed relinquitur Praelato electio, quem scilicet ex pariter qualificatis etiam gratificando praeferre velit; quae electio ideo circa futuro Praelato eripienda non est. Ceterum ut hoc ex juris ratione indubitatum est, ita ex adverso non satis expeditum, anne contra seu praeter rationem & dispositionem juris scripti poterit hic esse debeat potestas con-

ferendi iure Regaliorum, per Reges Galliae haecenus exercita, quam multis rationibus plerique, *Arnulphus Rufus in tractat. iuris Regaliorum in 5. parte praefat. Carol. De Grassalys lib. 2. De Regal. Franciae c. 10.* nituntur etiam iure colore defendere? In quo articulo facti quaestio versatur, an hic Episcopus Audomarenensis huic iuri Regaliorum subijciatur? ideo quod sit novus Episcopatus, & quod sic ad illum extendi non debeat illud jus singulare contra tenorem rationis, hoc est contra omnes juris regulas obventum, *l. Quod vero contra D. De legib. Sed ex adverso pro iure Regaliorum arg. t. quod hic Episcopatus sit erectus per suppressionem & dismembrationem Episcopatus Morinensis, quem qui de iure Regaliorum scribunt, Carol. De Grassalys, d. c. 1. lib. 2.* numerant inter illas ecclesias, in quibus Rex ius Regaliorum habet: * sic enim eodem Episcopatu in duos aut plures divisio, vel una provincia vel diocesis in plures distributa non adimuntur cuicquam privilegia priora, sed illa potius confirmantur. Quae tamen consideratio cessabit, si Rex Catholicus aut sui majores vacante Episcopatu Morinensi numquam usi fuerunt isto iure Regaliorum in beneficijs constitutis in ea parte diocesis, Morinensis, quae Regi Catholico & ejus majoribus, non Regi Galliae paruit & haecenus subiecta fuit (equidem verosimile non est Regem Galliae in ea parte dictae diocesis iure Regaliorum ulum fuisse) nam hoc casu ex superveniente erectione novi Episcopatus, aequum non erit ex parte Regis Catholici novum & exorbitans hoc ius Regaliorum induci. I sane si ius Regaliorum ex diversitate facti, hoc est in casu antecedentis usus & exercitij iuris Regaliorum in praedicta parte diocesis Morinensis ante illius suppressionem & dismembrationem habuit vel exercuit, libera nunc erit Regi Catholico collatio minimeque restricta aut adstricta ad qualificatas personas, quibus reservatio Pontificia dictas novem praebeundas affectavit. Nam qui ius Regaliorum adstruunt, liberrimum id esse volunt, ut nullis nominationibus, nullis reservationibus, nullisque affectionibus Papalibus impediri possit, *Arnulphus Rufus in d. tractat. in 9. privilegi. Carol. De Grassalys in d. c. 1. vers. & primum cum seq. Rebusus in tract. nominat. q. 11. nu. 9. & 10.*

De Praebendis.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

Indultum Regi concessum nominandi ad beneficia ecclesiastica, cum Canonicatu & praebeunda acceptari non potest. *Non in superius citatis locis.* *Classula decreti irritantis constringit etiam ante praeventivam reservationem litterarum.* *Curam animarum qui acceptat non praevio examine san cadat beneficio.* *Revocatio gratuarum expectativarum generalis non continet indulta nominandi Principibus concessa.* *Litterae Placitis Principis super indultu & praebeunda.*

CONSILIVM CCLXI.

EX indulto per felicis recordationis Pium Papam Quartum Serenissimo Philippo secundo Regi Hispaniarum Catholico in anno Domini

Domini 1560. Calendis Iulij concessio, continente Facultatem nominandi infra tres menses à die præsentationis huiusmodi indulti personas sibi gratas ad collationem, provisionem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, quorumcumque Collatorum & Collatricum secularium vel regularium in sua Maiestatis temporalibus dominijs inferioris Germaniæ constitutorum, vigore cuius sic nominatus possit etiam Cathedralibus & Metropolitans vel Collegiatis Ecclesijs in dictis dominijs consentientibus acceptare unum Canonicatum & unam præbendam, & unam dignitatem seu personatum, administrationem, vel officium etiam curatum & electivum, nec non unum beneficium &c. Ita quod unam & eandem personam ad Canonicatum & præbendam & dignitatem nominare valeat, ac tunc Canonicatus ac præbenda ac dignitas pro uno beneficio tantum reputetur, etiamsi ex persona diversorum etiam simul vel successively vacaverint, vel diversas personas ad Canonicatum & præbendam, ac dignitatem, personatum, administrationem vel officium singulorum Ecclesiarum huiusmodi nominare possit. Ex hoc inquam indulto die nona mensis Iulij anno 1561. per suam Maiestatem Dominus Ioannes de Laoultre ejusdem suæ Majestatis Cantor nominatus est ad collationem Præpositi & Capituli Collegiatis Ecclesiæ S. Germani Oppidi Montensis, ut unum Canonicatum & unam præbendam ac unam dignitatem seu personatum, administrationem, vel officium etiam curatum & electivum iuxta prædicti indulti Apostolici vim & tenorem assequi possit & obtinere. Vigore cuius nominationis idem Dominus Ioannes de Laoultre in anno 1563. septima mensis Martij acceptavit & obtinuit Canonicatum & præbendam ex morte Domini Nicolai de Bracquener in dicta Ecclesia S. Germani Montensis vacantes; quorum pacificam possessionem adeptus idem Dominus Ioannes aliquo tempore ex post huiusmodi Canonicatum & præbendam ex causa permutationis resignavit, & sic in dicta Ecclesia Canonicatus præbendaque esse desijt. Contigit deinde in anno 1573. quod Dominus Ioannes Gerardi dictæ Ecclesiæ Decanus valetudinarius ejusdem Ecclesiæ Decanatum in favorem D. Petri de Behault sacre Theologiæ Licentiat & ejusdem Ecclesiæ Canonici ad manus Capituli resignaverit, Capitulo resignationem admittente. Cæterum idem Dominus Ioannes Gerardi post huiusmodi resignationem statim decessit; ideoque secundum regulas Cancellariæ Apostolicæ dictus Decanatus ex ejus morte vacavit; quem Decanatum sic vacantem præfatus Dominus Ioannes de Laoultre nona mensis Ianuarij dicto anno 1573. vigore dicti indulti acceptavit, sibi que de eo provideri nec non undecima die ejusdem mensis Ianuarij ad illum per dictum Capitulum admitti & confirmari obtinuit. Quem eundem Decanatum sexto deinde Calendis Augusti eodem anno 1573. tamquam adhuc ex morte dicti Domini Ioannis Gerardi vacantem à sede Apostolica impetravit præfatus Dominus Petrus Behault; cui supplicanti pro obtinendis à sua Majestate literis Placiti ad liberum usum literarum Apostolicarum huiusmodi Papalis provisionis, præfatus Dominus Ioannes de Laoultre se opponit, eandem

Conf. Wamel. Tom. I.

que literas dicto Domino Petro non esse concedendas contendit.

Ex parte itaque præfati Domini Petri Behault proponuntur aliquot quæstiones. Primò, an Dominus Ioannes de Laoultre post dimissionem Canonicatus & præbendæ vigore dicti indulti obtentorum potuerit ex tanto temporis intervallo ex eodem indulto acceptare postea vacantem in eadem Ecclesia dignitatem? Secundò, an obijt dicto Domino Ioanni de Laoultre, quod ante acceptationem huius Decanatus suam nominationem insinuaverit Præposito & Capitulo S. Germani? Tertio, an obijt dicto Domino Ioanni de Laoultre, quod non ab Ordinario Collatore seu Capitulo, sed per alium in dignitate Ecclesiastica constitutum sibi vigore dicti indulti provideri fecerit? Quarto, an ex eo aliquid adversus dictum Dominum Ioannem de Laoultre statueretur sit, quod administrationi dicti Decanatus se immiscuerit, & per tres aut quatuor menses exercuerit ante professionem fidei, ante debitam examinationem, & obtentam ab Archiepiscopo Cameracensi curam animarum? Quintò, an gratia dicti de Laoultre sit revocata per decreta Concilij Tridentini omnes gratias expectativas & mandata de providendo revocantia & annullantia? Sextò, an provisioni Apostolicæ per D. Petrum Behault obtentæ objici possit, quod supplicando Pontifici subticuerit dicti Domini Ioannis de Laoultre acceptationem & admissionem? Septimò, an dicto D. Petro Behault per Concilium suæ Majestatis denegari possint literæ Placiti? Octavo, an dictus D. Petrus ex præfata sua Apostolica provisione jus habeat in & ad dictum Decanatum, & an sic iure contendere possit adversus præfatum D. Ioannem de Laoultre, & quâ viâ seu modo? Ad quas quæstiones ordine quo proponuntur respondebimus.

Ad primam igitur, quæ præcipua est & sequentibus præjudicium facit, dicimus eam sine difficultate non procedere: quippe verba clausulæ superius propositæ, etsi pro uno beneficio reputari velint Canonicatum & præbendam ac dignitatem, quando una eademque persona ad illos nominata est; eorum tamen separationem admittunt proximè coherentia verba, *Etiamsi ex persona diversorum etiam simul & successively vacaverint*; Vt uno tempore seu ex certa vacatione Canonicatus & præbenda, alio tempore & ex alia vacatione dignitas acceptari possit per sic nominatum; ita ut quemadmodum ex hac separationis consideratione Decanatus ante adeptum Canonicatum & præbendam acceptari potuisse videtur; ita quoque possit post adepti Canonicatus & præbendæ dimissionem seu resignationem. Nihil in contrarium urgentibus dictæ Ecclesiæ seu Capituli statutis inter alia continentibus, quod ad Decanatum eligi seu assumi non possit, nisi qui Canonicus & de ejusdem Ecclesiæ Capitulo sit: nā huiusmodi statutis per dictum indultum aperte est derogatum peculiaribus clausulis derogatorijs dicto indulto insertis, his verbis: *Es alijs dictarum Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis*

statutis

statutis & consequentibus &c. prout simili ratione non obtat, quod idem Decanatus sit electivus, & illi quoque cohareat cura animarum collegiata Ecclesie S. Waltrudis: nam huic nominationi per dictum indultum aperte quoque subijciuntur perinde electiva, ut collativa beneficia & dignitates quacumque, etiam si cura animarum eis annexa sit, his verbis: *canonicatum & unam præbendam & unam dignitatem seu personatum administrationem vel officium etiam curatum & electivum.*

Ceterum propius verba dictæ Bullæ expendendo & in mentem ac voluntatem concedentis colligendo, verius nobis videtur, non licuisse dicto Domino Ioanni de Laoutre post dimissionem dictorum Canonicatus & præbendæ, non aliquid, sed ex indulto acquisitum, vigore eiusdem indulti acceptare postea ex alterius persona vacantem Decanum, quasi interveniente medio inhabili ex dicta dimissione, quæ facit ut unitas illa, quæ ex dictis tribus Canonicatu, præbenda, & dignitate in una & eadem persona sic nominata constituitur, effectum nec re nec spe consequi possit, ut potest, si Decanatus occurrente illius vacatione acceptetur. Neque etiam licuisse ei acceptare postea vacantem Canonicatum & præbendam vel ex cessione seu dimissione ac resignatione Decani viventis, vel ex illius morte; cum Decanatus necessarii non requirat coniunctionem Canonicatus. Nam etsi in præsentem Decanatus per se stet, spes tamen est postea occurrurum eam vacantem Canonicatum & præbendam, qui vigore indulti acceptari poterunt. At verò parte dictæ gratiæ seu indulti consumptæ per antecedentem acceptationem Canonicatus & præbendæ, si nominatus dimittat Canonicatum & præbendam, non est amplius spes coniunctionis & unitatis horum trium: cum non possit vigore eiusdem indulti seu gratiæ amplius acceptari Canonicatus & præbenda, consumptæ scilicet eâ in parte dicti indulti gratiæ. Unde hæc sic se habere videntur, ut unum propter aliud habeatur seu haberi debeat vel in re præsentem vel spe & expectatione futuri; & dictus D. Ioannes de Laoutre renuntiando Canonicatui & præbendæ ex dicto indulto obtentis, renuntiassent censetur expectationi Decanatus. Eaque videtur fuisse Pontificis concedentis mens & voluntas, ut ex eo indulto in eadem Ecclesia nominatus dignitatem assequi non possit, nisi propter Canonicatum vel iam prius acquisitum, vel postea acquirendum: nam & communiter in omnibus Collegiatis Ecclesiis ita observari solet, ut dignitates non nisi eiusdem Ecclesiæ Canonicis seu Capitularibus conferantur: ut sic ab ea reservatione & consuetudine quam minimum recedatur; & annexorum separatio non facile inducatur, arg. c. *Quia sepe de præben. lib. 6.* & non nisi eo casu, quo per dictum indultum una persona ad Canonicatum & præbendam, alia ad dignitates in eadem Ecclesia nominatur; ita quod in proposito separatorum & coniunctorum eadem non sit ratio, nec effectus idem.

Ad secundam questionem paucis dicimus, insinuatione nullâ opus fuisse: quoniam illam non requirit dictum indultum, quod continet clau-

sulam decreti irritantis, quicquid in contrarium factum fuerit, atque etiam mandatum ac facultatem, quod Executores super executione seu fulminatione huius indulti requisiti omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Collatoribus inhibere possint, ne de beneficiis post nominationem vacantibus disponant in præiudicium nominati: prout etiam Illustrissimus D. Antonius Perrenotus Cardinalis, dicti indulti Executor & fulminator inhibuit, decernendo ex tunc irritum & inane, si secus scienter vel ignoranter attentari contingerit. * Cuius decreti tantis ea est vis & potestas, quod Collatoris Ordinarii manus statim ex die nominationis ligentur etiam ante præsentationem mandati Apostolici seu indulti, notata in c. *Si solum in gl. verb. contra ipsam de concess. præben. lib. 6.* & sic cum perinde ignorantem ut scientem constringat, c. *Dilecto vers. nisi forte de præben. c. penult. eod. tit. lib. 6.* aperte deprehenditur antecedente aliquâ insinuatione, intimatione, aut requisitione opus non fuisse.

Ad tertiam questionem expedita est responsio extenore dictæ Bullæ, quæ provisionem devacante beneficio vel dignitate nominato faciendam permittit Executoribus vigore indulti per suam Majestatem eligendis, idque per se vel alios vel ipsos subdelegandos subexecutores: ita quod rectè facta dici debeat provisio, quæ illi vigore clausulæ, *Ceterum*, in processu dicti indulti fulminato inserta per Dominum Priorem conventus & Monasterij Scholarium Montensium facta est, etiam si nec Præpositum nec Capitulum antea requisiverit, quos sufficit requisitos esse in admissione ad possessionem.

Ad quartam questionem dicimus, ex huiusmodi sive negligentia sive contemptu, non oriri resolutionem juris in beneficio acquisiti: quia hoc nullo iure constitutum, neque per Concilium Tridentinum, neque per statuta Episcopalia cautum invenitur; alijs poenis adversus negligentes seu contemptores constitutis, f. Nam de iure communi ad culpam superioris refertur, si quis ad regimen seu curam animarum admittatur, non præmissio exanime, c. *penult. de stat. & qual. ordinand.* Et ex ordinationibus Episcopi Cameracensis poena suspensionis infertur deservienti beneficio curam animarum annexam habenti, non præcedente autoritate Episcopi: & per Concilium Tridentinum, sess. 7. cap. 13. & sess. 18. cap. 18. permittitur potestas non admittendi provisos de huiusmodi beneficiis, non præcedente hoc examine & admissione. Et quoad professionem fidei per idem Concilium Trident. sess. 24. c. 10. & 12. omnibus ad beneficium curatum seu dignitatem Ecclesiasticam promotis imperatam, non invenitur alia poena statuta quam non admissionis ad ipsum beneficium seu dignitatem, & non faciendi suos, hoc est lucrandi fructus beneficii; & quod possessio beneficii illis suffragari non debeat: hoc est non tantum non faciant fructus suos per possessionem, sed nec consequi possint commodum aliquod ex possessione; cum tamen possessionis commoda multa sint, & commoda insit. De interd. & inter cætera quæ ad regulas

gulas Cancellariæ de annali & triennali possessione, ita ut nuda omisso seu negligentia nihil faciat ad amittendum jus in beneficio quantum; ideoque ea in parte purgatio sive mora & negligentia, sive contumacia admittatur; & facta purgatione nihil sit, quod adversus possessorem huius beneficii statui possit.

Ad quintam questionem respondemus, quod etsi verba Concilii Tridentini, *sess. 24. c. 19.* hac in parte aperta & generalia esse videantur, ut etiam comprehendere videatur hoc indultum mandatum de providendo seu gratiam expectativam; intentio enim negatio est in his verbis, *Ne mini amplius*, quæ omnes omnino excludere videtur, & petinde illius, ut aliorum continere revocationem per hæc subiecta verba, *Nec hactenus concessus cuicumque uti licere*; quasi scilicet nulli omnino id ex eo tempore licuerit, *Paul. Paris. conf. 58. agit coram nu. 35. vol. 4.* quia tamen in hoc decreto nulla sit expressa mentio de huiusmodi gratijs, quæ Imperatori, aut Regibus, seu alijs Principibus concessæ sunt, difficile erit obtinere, ut per idem decretum censetur quoquo modo revocatum hoc Regie Catholice Majestati ex tam prægnantibus causis & cum tam specialibus notis concessum indultum. Et illam dicti Conciliaris decreti mentem esse satis deprehenditur ex alto ejusdem Concilii decreto, *sess. 25. cap. 9.* quo revocantur omnia privilegia juris patronatus & nominandi concessa quibuscumque, sed ex ceptis Imperatori, Regibus, & alijs supremis Dominis concessis; ita ut præcedentis decreti verba, *sess. 24. cap. 19.* restringenda omnino sint per hoc ejusdem Concilii decretum, *sess. 25. cap. 9.* quo revocantur omnia privilegia juris patronatus & nominandi concessa quibuscumque, sed ex ceptis Imperatori, Regibus, & alijs supremis Dominis concessis; ita ut præcedentis decreti verba, *sess. 24. cap. 19.* restringenda omnino sint per hoc ejusdem Concilii decretum, *sess. 25. cap. 9.* Scio multa probabiliter proferri posse pro sustinenda dictæ revocationis generalitate; sed verendum est, ne si id præcipue contendat D. Petrus Behault, nihil agat; cum usus sequentis temporis contrariam interpretationem invexerit, & aliud à Concilio Regio obtineri posse spes nulla sit: possimum quod hæc nominandi facultas perpetua & successiva non sit, sed restricta ad tres tantum proximos à die præsentationis indulti menses, qui uno ferè anno antecesserunt publicationem Concilii Tridentini: ita ut quoad Regiam Majestatem effectum suum sortitum fuerit huiusmodi indultum, nec verosimile sit Regiam Majestatem passuram, ut sic à se nominati etiam post dictam publicationem illius effectum non consequantur.

Ad sextam questionem (quæ ut & sequens septima personam & impetrationem D. Petri Behault concernit) respondetur, manifestam esse juris dispositionem, in *c. Cum nostris De concess. prab.* quod literæ Apostolicæ gratiosæ ad beneficia non valeant, quando impetratio facta est non facta mentione de colorata possessione alterius; ita quod ex hac consideratione (quia D. Ioannes de Laoulte tempore provisionis quæ D. Petrus Behault utitur, erat, & per aliquot menses pacifice fuerat in possessione huius Decanatus) in periculo versetur dicti Domini Petri impetratio, *Ioan. Calder. conf. 28. & conf. 29.* Sed quoniam extensas Bullas non vidimus, non possumus absolute dicere, an in illis contineantur aliquæ clausulæ per quas ejusmodi vitium surreptionis sit sublatum; ut facill-

Conf. Wamef. Tom. I.

me per clausulas, quas formularij supplicationibus vel Bullis inferere solent, tolli soleat; per ea quæ exatradunt Calderinus, *conf. 14. de descript. Panor. mitinus*, & Ioannes de Imola, in *d. sup. Cum nostris*. Operæ pretium igitur erit originales Bullas transmittere, ut ex illis certum constitui possit, num ex hac parte periculum ullum sit, quod verosimile non est, propter summam diligentiam, quæ in huiusmodi impetrationibus adhiberi solet; & quod in signata supplicatione contineatur derogatio regulæ Cancellariæ de annali possessore, ex qua majus periculum surreptionis induci solet.

Ad septimam questionem dicimus, ex juris & æquitatis ratione Domino Petro non posse denegari literas Placiti, quarum impetratio non dependet ex certitudine boni juris ipsius impetrantis literas provisionis beneficiarum; cum illius cognitio ad laicam potestatem seu iudicem laicum regulariter non pertineat, *c. decernimus De indic. sed à Maximiliani Imperatoris & Philippi Archiducis Austria constitutionibus* (per quas usus harum literarum Placiti in his regionibus introductus) ne abusive huiusmodi impetrationes sine consensu Principis executioni mandentur. Cum ergo abusus nullus in impetratione dicti Domini Petri contineatur; nec habeat illa insolitas aut exorbitantes clausulas; ex ratione iustitiæ distributiæ nihil occurrit, ob quod huiusmodi literæ Placiti ei denegari possint, & quin hoc ipsi permitti debeat, ut de jure suo saltem petitorio iudicio experiri liceat, non etiam ut statim vel de facto dictum D. Ioannem de Laoulte possessione deturbare possit. Præsertim in tanta apparentia boni juris, quod Dominus Petrus præten dit, & deficientis juris in persona Domini Ioannis; quæ sola apparentia ad hanc impetrationem sufficere debet; cum nemo jus suum indiscussum relinquere debeat, *l. illud de petit. hered.* & usus seu concessio dictarum literarum Placiti non à lubito voluntatis, sed à regulato & boni viri arbitrio dependeat; ut aliud etiam velle Princeps non præsumitur, *l. digna vox C. de legib.*

Ad octavam eamque ultimam propositam questionem dicimus, ex superius deductis, & præsertim quod pro uno beneficio reputentur Canonici, præbenda, & dignitas, dum unus idemque ad ejusdem Collatoris collationem nominatus est, eaque unitas retineri non possit in persona D. Ioannis de Laoulte in casu proposito, qui sic ut præten dit acceptando non unum sed plura beneficia ex dicta nominatione consequutus dici deberet, si post renuntiationem Canonici & præbendæ postea solum Decanatum acceptatum retinere posset; satis constare de defectu juris ipsius D. Ioannis de Laoulte: eoque constituto jus Domini Petri extra dubitationem esse, si modò extenore extensæ Bullæ deprehendatur suprascriptum vitium surreptionis ex omiâ narratione coloratæ possessionis dicti D. Ioannis de Laoulte per insertas clausulas sublatum esse. Quod si est, consulto faciet D. Petrus, si impetratione literarum Placiti urgeat eaque obtentâ litem adversus D. Ioannem instituat, non iudicio possessorio, propter longiorē ejusdem Domini Ioannis possessionem realem & actualem; sed petitorio, vel coram Archiepiscopo Cameracensi ordinario loci, si Ecclesia S. Germani

X x 4

man ab ordinaria iurisdictione exempta non est; vel si exempta est, impetrato rescripto Apostolico, per quod causa alicui in dignitate constituto in diocesi Cameracensi in loco insigni residenti committatur: nisi fortè Bullæ super hac Domini Petri impetratione obtentæ Executori in illis deputato cognitionem quoque causæ committant. Ita quod planè necessum sit Bullas ipsas tam gratiosam quàm executariam seu illarum copiam transmittere, ut certiore iudicio de omnibus statui ac definiri possit.

De Præbendis.

S Y M M A R I V M.

Indultum Regi concessum nominandi ad beneficia.

1. Clericatura non probatur ex presbyterio.
2. Clericus unius diocesis potest esse alterius presbyter.
3. Nominatio per laicum ex concessione Papæ facta, consecr. per Papam facta.
4. Principi asserenti credendum.
5. Instrumentum publicum plenissimè probat.
6. Simonia delictum prauissimum, ideoque non presumendum.
7. Possessio beneficii omni die capi potest.
8. Publicatio Bullarum Apostolicarum quo modo facienda.
9. Notarius Apostolicus de rebus sacris potest facere instrumentum in Regno, etiam si per Regem approbatus non sit.
10. Instrumento opus non est de actiis, qui aliter probari potest.
11. Nominatio ad Ordinarios directæ extenditur etiam ad beneficia vacantia in mensibus Papalibus.
12. Iuri quæsto princeps derogare non censetur.
13. Clausula decreti irritantis potentissima.
14. Papa conferendo expectantes præuenire potest.
15. Ordinarius conferens in omnibus mensibus ex indulto Papæ an censetur iure ordinario an Papali conferre.

CONSILIUM CCLII.

Ex collatione eorum, quæ in causa possessionis Capellaniæ ad altare Beatæ Mariæ in parochiali Ecclesia loci de Geerbeets Leodiensis diocesis utrimque allegata, & producta sunt in amplissimo Concilio Brabantia, inter Dominum Godevardum Humbeech Impetrantem, ac Magistrum Paulum Parys Opponentem, deprehenditur titulus, & ius Impetrantis præualere, ideoque secundum eum hanc possessionem causam definendam esse tamquam potiora apparentioraque jura habentem; quia non ex sola possessione, ut in rebus profanis, *l. 1. vii possidet.* sed ex jure quoque causæ beneficialis terminanda est, ut ei adiudicetur possessio, & in ea manuteneatur, qui apparentiora jura habet, *Doct. in l. fin. c. De edict. d. Hadr. tollen.* sic quod possessio in beneficiis Ecclesiasticis mixtæ naturæ sit, & sine titulo, hoc est deductione juris induci, aut concludi non possit, *Rota decis. 55. Ad instantiam, alias est 2. ut lit. pend. in novis.* Collationem igitur istam explicando & incipiendo à persona ac qualitate Impetrantis, quæ ante omnia qualificari debet, antequam de jure Rei quæretur, *l. Si queramus De*

testam. dicimus de clericatura Impetrantis (quæ ad obtinendum simplex beneficium, etiam si Canonatus sit sufficit, *c. Super inordinata. De præb. c. Cum adeo de rescriptis.*) sufficienter constare per exhibitionem literarum clericaturæ; ut etiam Opponens ipse fatetur. † Nec ad rem facit cavillatio Opponentis, quod tam in literis nominationis, quàm in instrumento acceptationis, necnon instrumento in possessionem inductionis, impetrans dicatur esse presbyter Cameracensis diocesis: nam expressio maioris qualitatis, quæ necessaria non est ad obtinendum beneficium, nocere non debet: cum non contineat finalem causam ipsius nominationis, sic quod expressa & non probata nocere non debeat, *l. Testamentum c. De testamen.* sufficiatque Impetrantis eam qualitatem, quæ necessaria est, quæque sola sufficit, clericaturam scilicet probasse; cum probatio solius qualitatis presbyterij non videatur sufficere, propterea quod ex illo necessariò non constet de clericatura (quæ ut diximus ad obtinendum beneficium omnino necessaria est, *d. cap. eum adeo cap. Ex literis De transact.*) propterea quod de facto quis per saltum promoveri possit ad Presbyterium. *c. 1. de cler. per saltum promot.* quamvis interim presbyterij qualitas in Impetrante notoria sit. Proinde nullius momenti sunt quæ Opponens adfert de demonstratione falsa, & de presbyterio sine literis dimissorijs Episcopi Leodiensis, à quo Impetrans clericus creatus est obtento: nam quod demonstratio falsa sit non probatur, cum verum sit Impetrantem presbyterum esse Cameracensis diocesis, etiam si illud probatum non sit, quia necessariò probari non debuit, præsertim quod constet per Opponentem id negatum non esse: quod si Opponens inter verbales allegationes negasset, vel defectum ejus qualitatis obiectet, Impetrans sine negotio probare potuisset, eademque opera demonstrare, quod illegitimè, & juris ordine minimè observato ad presbyterium non pervenerit. * Vnde quod Opponens ex ista Impetrantem errasse in propriæ diocesis expressione, & errando sibi præjudicasse videtur. *in c. Significante na. 2. in 2. declaratione De rescriptis.* in proposito verum non est: quia nihil vetat, ut qui alterius diocesis est clericus alterius sit presbyter, *c. cum nullus de temp. ord. lib. 6.* Qualificatâ personâ Impetrantis, de re ipsa, hoc est titulo, & jure quærendum est. De quo nulla hic est dubitatio; ob id, quod Impetrans nitatur claro & liquido jure facultatis nominandi per se dem Apostolicam Regiæ Catholicæ Majestati concessæ, per quam Impetrans intra tempus trium mensium à die præsentationis literarum nominationis suæ Majestati factæ per suam Majestatem nominatus fuit, ad Collationes Personæ Personatus Collegiæ, & Parochialis Ecclesiæ Oppidi de Levvis: † per hujusmodi enim nominationes, quia autoritate Pontificia fiunt, & in illis nominans etiam si sit laicus Sanctissimi Domini Papæ quasi minister est, *argum. l. Si quis Titio De leg. 2.* cum is facere intelligatur cujus auctoritate, ac mandato actus explicatur, *c. Mulieres in fin. de sent. excom. nominato jus acquiritur non tantum ad rem, sed etiam in re, cap. ult. de concess.*